

B. M. II, 69.
h. II, 13.

X 1880768



DISSERTATIO JURIDICO-POLITICA
DE
MAJESTATE

Quam
Divinâ adspirante aurâ
Autoritate & permisso
*Magnifici, Nobilissimi, atq; Excellentissimi Ju-
reConsultorum Ordinis*
In Celeberrimâ Salanâ

Sub
PRÆSIDIO
Viri Consultissimi atque Excellentissimi
DN. JOHANNIS THOMÆ,
J. U. Doctoris dignissimi, Promotoris atque Præceptoris
singulari observantia ætatem
devenerandi
publicæ ventilationi submittit

CONRAD-HEINRICH von GRZESHEIM,
Nob. Thuring.

In Auditorio Jctorum
ad diem Martii
horis consuetis

CHARACTERE SENGENWALDIANO.

ANNO M. DC. II.

de Majestate Vol. V. 30.



DISSERTATIO JURIDICO-POLITICA
DE
MAJESTATE

QUAM

Disertatione
Auctoritate & potestate
Magnifici, Nobilissimi, ac
Illustriissimi Ordinis
In Ecclesiastica Sala



J. H. D. Doctoris dignitate
Instituti obediunt

deventur
publice celebratione

CONRAD-HEINRICH

Not. Thurg.

In Auditorio

ad hunc

hunc

CHARLES-ERNESTUS ERWALDING.

Annos





Cogitanti mihi, cui potissimum rei operam hodiè navarem, idem obtigit, quod in spatio campo per hinc inde micantes & scintillantes flores erranti, quem primum decerpamus, quem secundum, dum eligimus, tempore ferè excidimus. Placuit tamen & propter insignem istam, elegantiam dicam, an Majestatem, placuit Majestas; de quâ multi multa. Nobis eam liceat angustis finibus terminare Augustam. Tu nobis Dux esto, Æterna mens, O DEUS, & manum mentemq; nostram dirige, ut salutaria & utilia videamus, dijudicemus, promamus.

§. 1.

Principio considerata venit origo vocis. Majestas secundum Festum dicta, à Magnitudine, aut si major fides Becmanno à majus, sicut à tempus, tempestas. Aliis videtur dicta Majestas, quasi major Status, sive major potestas: Harprecht. *Instit. de publ. judic.* §. 3. Clarissimus Arnisæus *l. 1. c. 1. de Majest.* cui sententiæ calculum addit Besold. *in Tract. de orig. Dig. & potest. Duc. Ital.* §. 19.

§. 2. Sed missâ anxioze originis inquisitione, Majestatis ambiguitates, quibus involuta est, paululùm enodabimus. Præsupponimus autem hoc loco, quod Majestatem consideremus, non prout omnium rerum Arbitro DEO tribuitur, ut

in l. 1. C. de vet. Jur. enucl. Sed prout spectat ad humana, in quibus non uno eodemque modo sumitur. Videtur enim ejus acceptio duplex, vel propria, vel impropria: Impropria rursus varia: (1) quando Majestas tribuitur rebus inanimatis & artefactis: quomodo Illust. Scal. l. 2. Poet. c. 29. eam carmini tribuit, & quomodo ea comparari debeat, docet: Ita Cicero orationis Livius loci Majestatem vocat. (2) quando viro, possessionem, & exercitium virtutum principalium habenti, per quod homo Majestate perfusus existimatur; hanc ratione quasi in gravitate Personæ collocatur, quæ visu ac auditu venerabilis est, quomodo sæpissimè à multis magni nominis viris sumitur, ut Tacit. 2. Annal. Kirchn. de Republ. disp. 2. Lips. 2. polit. c. 16. Althus. 15. pol. c. 19. (3) Non longùm abeunt, qui Majestatem adscribunt privatis hominibus, ut imprimis Valer. Max. lib. 2. c. 10. Est quasi, inquit, privata censura Majestas clarorum virorum, sine tribunalium Fastigio, sine apparitorum Ministerio, potens in suâ amplitudine obtinendâ. Et illam tribuit Rutilio Exuli, & aliis. (4) Reperiuntur qui vocabulum Majestatis, ut vocabulum honoris à potestate sepatatum accipiunt; adeoque Majestatem in dignitate solâ externâ ponunt, Sveton. in Tiberio c. 30. Petr. Gregor. Tolozan. de republ. lib. 8. (5) aliquando Majestatis Titulo gaudent, qui jus territorii tantum, & potestatem publicam, non tamen summam habent.

§. 3. Hæc de impropria sufficiant; nunc etiam de propria paucis agemus. Est autem propria ejus acceptio, quando Majestas sumitur pro eâ potestate, quæ in Republ. est absoluta, & summa, quo sensu accipitur ab Interpretibus in l. ult. C. de LL. & Constit. Princ. l. ex imperfecto, 23. ff. de Legat. 3. l. 91. ff. de hered. Inst. quam acceptionem etiam nostram facimus, cæteras omnes improprie dictas, & ad nostrum Institutum ineptas à Laribus nostris amandamus, & ad definitionem pergitimus.

§. 4. Definitur Majestas, suggerente Aristotele, 3. Pol. c. 6. τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως πανταχὲ κύριον. id est Majestas est in civitate ubique summa potestas.

§. 5. Insignem inde errorem errasse videmus Bodinum qui

qui i. lib. de Republ. c. 8. gloriatur: Principio, inquiring, definienda fuit Majestas, quam nec Philosophorum, nec Juris Consultorum quisquam definiit: &c. Et statim suam definitionem subjicit, quod sit potestas summa in cives & subditos perpetua, Legibusque soluta. Quæ tamen ipsa hodiè à nonnullis propter quædam abundantia atro lapillo notata est. Habeat eam sibi. Nobis iterùm arridet Aristotelica.

§. 6. Potestas autem ibi non sumitur, prout notat actus oppositum, quomodo ens actu vel potestate esse dicitur, ut Dn. Cell. lib. 2. Pol. c. 7. notat: Neq; pro concreto, sive homine, qui potestatem habet; ut in l. 26. ff. de pignor. & hypothec. ibi: si de jussor impetravit à potestate, & l. 17. §. 19. D. de edil. edict: Sed ipsam imperandi facultatem notat, & quidem politicam, ut in l. 1. §. 1. ff. ad leg. Jul. Mai. l. 3. & 13. §. 1. ff. de Jurisd. l. 215. de V. S. in quâ ipsâ Lege, ambiguitates quædam hujus vocabuli referuntur.

§. 7. Sanè plura occurrunt politicæ hujus potestatis genera. Nobis ea, quæ summa est, curæ est. Est autem summa potestas, notante Grot. lib. 1. c. 3. de J. P. & B. cujus actus alterius Juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi: Quibus verbis, ut clarius dicamus, nulla alia intelligitur potestas, quàm quæ præter maximi DEI potestatem, inter homines nullius agnoscit superiorem.

§. 8. Nimirùm summa illa potestas Majestatis forma est, animadvertente id Domino Reink. Lib: 1. Class. 3. c. 11. de Regim: Secular: suprema, inquit, Jurisdictio & potestas illa absoluta, est ipsa forma & substantialis essentia Majestatis, not: Carol. Mol. in Consv. Paris. tit. 1. §. 2.

§. 9. Cùm igitur summa potestas sit forma Majestatis, forma autem essentielle quid, & dans esse Rei; satis perspicuum est, eam Adamantino quasi vinculo cum Majestate esse conglutinatam, ut si eam velis avellere, non modo Majestati lethalia infligas vulnera, verùm etiam totam ejus essentiam planè destruas. Ea enim est summæ potestatis natura, ut sine Implicatione contradictionis superiorem agnoscere non possit. Supra quod enim aliquid superius est, illud summum non est.

§. 10. Hinc rectè denegamus Majestatem iis Rebus pub. [appellamus enim, ut possumus,] quæ in alterius populi ditionem vel spontè concesserunt, vel vi subactæ superiorem, recognoscunt. Hæ enim amplius Resp. propriè non sunt, sed membra tantum & partes alterius Reip. quomodo servi membra familiæ. Talis erat Resp. Danorum tum temporis, cum Rex eorum Friderico I. Imper. his verbis fidem dabat: Rex Danorum Magnus sese in potestatem Imperatoris tradidit, obsides dedit, Juramentum fecit, se successoresque suos, non nisi Imperatoris & successorum ejus permissu Regnum adepturos. Not: Treith. c. 17. Ut ut alii, & inter eos Boterus l. 1. c. 2. de Politia Illust: contrarium defendere conentur, his rationibus persuasi: Quod & hæ Resp. constituendi Regentes potestatem habeant, multisque aliis gaudeant privilegiis. Falluntur isti: «quia Majestas consistit in independentia. Neque sufficit, unum
«vel alterum Regale, sive Majestatis Jus, sibi fortè communica-
«tum, exercere posse. Nec id quod habent, propriâ virtute ha-
«bent, sed per quandam dependentiam. Et quomodo Jure
«Majestatis facere quid possunt, si id, quod faciunt, Jure Privilegii: Privilegia enim arguunt superiorem.

§. 11. Cæterum notandum: spectari Majestatem vel in longitudine tantum, vel in latitudine etiam objecti. Hæc ultimâ consideratione definitam eam supra dedimus, ut intelligas, in independentia istam consistere quoad universa negotia Civilia: Priori verò modo accuratius paulò ab objecto suo abstrahenda est Majestas, ita scilicet ut independentia sufficiat, in quocunque negotiorum Civilium genere, etiam singulari. Exemplo sit ejusmodi Respubl. ubi quædam Regalia sint penes unum, v. g. moderatio cultûs divini, Jus extremæ provocationis, quædam verò penes plures, ut jus belligerandi, ille unus certè habebit summam potestatem in longitudine, quia à nemine superiori quoad illa dependet, non tamen in latitudine, quia omnia Regalia non sunt penes eum solum.

§. 12. Quâ distinctione etiam lis dirimi posse videtur, mota aliàs: an Majestas cum æquali stare possit? Plurimi negant: Sed sine difficultate affirmabitur de Majestate in longi-
tudine

gitudine ita dicta; Equidem ex ipsius summæ potestatis natura constat, quod illa potestas summa sit, quæ non habeat superiorem, inde tamen minus constanter infertur, quod stare nequeat cum æquali. Objici posset: Quod ubi sint duæ potestates pares, neutra sit summa, quia neutra sit super omnia, nec enim supra eam, quam agnoscit æqualem. R. distinctione opus est. Summum aliquid dicitur bifariam: vel absolutè, summum, quod superius non agnoscit, quanquam nec inferius habeat, (sicut primum interdum vocatur, quod prius non habet, licet eo aliud non sit posterius) vel respectivè summum, quod respectum involvit ad inferiora. Priori modo omnis Majestas, etiam in longitudine ita dicta, & æqualem agnoscens, optimè dici potest summa: Posteriori tamen non item.

§. 13. Sed ne extra cancellos. In Civitate tantum locum fecimus Majestati, ut excluderemus, quæ forsitan aliquando fuit, in primis societatibus summam potestatem. Licet enim antequàm Civitates conderentur, ut loquitur Justinianus §. 11. *Instit. de rer. divis.* atque crearentur Magistratus, homines in rudi illâ & solivagâ vitâ degentes Principes habuerint familiarum superiorem non recognoscentes, non tamen illis ideò est tribuenda Majestas. Majestas enim semper est conjuncta cum Justitiâ aut injustitiâ, primis autem societatibus Justitia & injustitia non nisi per similitudinem aliquam competit secundum Aristotelem, *l. 5. Ethic. c. 6. aliàs 10.* ratio est quod tam justum, quàm injustum (1) sit πρὸς ἑτερον id est, ad alterum: Et (2) Inter plures liberos homines; In primis autem societatibus prior conditio nimirum πρὸς ἑτερον non est, quia ad id, ut aliquis revera & perfectè alter sit, nõ tantum requiritur, ut alter sit quoad suppositum s. personam, sed etiam quoad Jus & potestatem, id est, ut sui Juris sit, filius autem hoc modo non est alter neque servus. Neque etiam posterior, nimirum inter plures liberos homines, servus enim & filius non sunt liberi quoad potestatem, sed quicquid sunt, hic patris, ille Domini sui est. Ex horum igitur defectu non datur justitia in primis societatibus, ergò neq; illis competet Majestas.

§. 14.

§. 14. Pergimus ad subjectum & objectum. Illud duplex deprehendimus; commune & proprium: Sicuti visus subjectum commune est corpus proprium oculus: Ita summæ potestatis commune Resp. proprium Persona una plures, vè, pro cuiusque Reip. formâ & modo, ut in Monarchiâ Princeps, seu Rex; In Aristocratiâ Optimates; In Politiâ Univerfus Populi cœtus. Et his personis inest Majestas immediate, Reip. verò mediatè, medianibutis nimirum his personis. Alii dicunt, quod subjectum Majestatis sit Civitas materialiter accepta, & nondum forma induta: Sed num hoc procedat, maxima nos tenet dubitatio, cum Majestas esse non possit, ubi nulli sunt Imperantes & subditi; Civitas autem, priusquàm forma Reip. introducitur, nec imperantes habeat, nec subditos.

§. 15. Objectum Majestatis est id, circa quod versatur. Versatur autem circa negotia publica, sive Reipubl. v. g. circa monetam, Religionem, impendia, dignitates, &c.

§. 16. Etenim, quæ summa potestas omnia Majestatis Jura obtinet, & in omnibus negotiis independenter agit, eademum ubique summa, ea demum absoluta Majestas dicitur: vide tamen §. II.

§. 17. Non autem ex dictâ voculâ ubique, colligere licet, quod Majestas ex divitiis aut diversis locorum spatiis sit æstimanda, cum hæc planè nihil ad ejus essentiam faciant: Neque enim minus Regis titulo veniebat Emathion, angustis inclusus finibus Justin. l. 7. & cui uxor cibaria coquebat, not. Herod. l. 8. quam Alexander, qui Magni cognomento, & rerum gestarum magnitudine, occupatâ bonâ parte terrarum orbis inclaruit; aut Artaxerxes, qui ab Indiâ in Æthiopiam usque imperavit centum viginti septem provinciis ut legitur: c. 1. Esther. v. 1. & apud Plut. in vit. Artaxerxis. Ad hoc sanè ut habeat quis Majestatem, necesse non est, ut toti terrarum orbi imperet; modo liberè & cum plena potestate, licet vel uni tantum provinciæ imperet, æquè Majestatem habet, atque qui pluribus.

§. 18. Occasione autem ejus, quod ubique summa dicitur

citur Majestas quærunt: An ad Majestatem requiratur perpetuitas temporis? Affirmant communiter, inter quos chorum ducit Bodinus, id ipsum suæ inferens definitioni. Quin autem contraria sententia verior sit, nulli dubitamus, & cum Grot. *l. 1. c. 3. de J. P. & B.* negativam defendimus; Quoniam duratio naturam rei non immutat: Immò si in rebus privatis Dominium ad tempus interdum transire potest, (quod revocabile vocant) ita ut interim nihilominus sit plenum: Cur non etiam Majestas ita concedi, ut post tempus deponatur, aut ipso Jure ad populum redeat?

§. 19. Hinc Majestatem cum Grot. d. l. Dictatori Romano tribuimus, contra Bodinum, Kön. & alios: Neque sufficientem putamus rationem eorum, ex quâ ei denegant, quoniam nimirum non fuerit perpetuum ejus Imperium: Namque rerum moralium natura ex operationibus cognoscitur; quare quæ facultates easdem actiones habent, eodem nomine nuncupandæ sunt: At Dictator intra tempus Imperii sui omnes actiones, quas ille, qui optimo Jure Rex, exercere neq; ejus actus ab alio irritus reddi potuit.

§. 20. Et ne dubites de summa quondam Dictatoris potestate, textus nostri Juris sunt in promptu, *l. un. ff. de Off. pref. prat. Ibi. cum apud veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur. & l. 2 §. 18. ff. de Orig. Jur. ibi: Hunc Magistratum quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum Mensem retinere.* Unde tandem inferimus: Cui competit definitio, ei etiam definitum: Quod autem Dictatori competat definitio, satis constat ex hæcenus dictis.

§. 21. Neque est tanti momenti, quod König urget ex *d. l. 2. nec fas erat ultra sextum Mensem retinere.* Inde q; vult concludere, quod Imperium ejus facile fuerit revocabile: Respondet enim ad hoc ipse Grotius: Aliud esse Imperium certo tempore, aliud quovis tempore revocabile: Et rectè illi, qui priori modò habet, ut Dictator, Majestatem tribuit, illi verò, qui posteriori, denegat, cum illud quasi sit precarium Imperium eorumq; actus ab his, qui hoc imperium iis concesserunt, singuli irriti reddi queant: Ac proinde non idem sit effectus, neq; idem nomen.

B

§. 22. Ac-

§. 22. Accuratè tamen distingvendum: utram gube-
natio, an administratio tantùm alicui committatur? (quam-
vis administrationis & gubernationis appellationibus indif-
ferenter utantur Doctores) priori enim casu Majestas conce-
ditur, posteriori minimè, sed penes concedentem residet, &
illi, cui hoc modo conceditur, competit tantùm summæ po-
testatis exercitium: Hinc non summi Principes, sed summi
Imperii administratores tamdiu sunt, quoad superior Impe-
rium reposcat, cujus ipse, ut ita loquamur, interim etiam Do-
minus manserat.

§. 23. Hæc de hæc quæstione. Alia adhuc ad Majestatem
pertinens in scenam prodeat: An nimirum Majestas, sit solu-
ta Legibus? Quam, quoad fieri potest, breviter explanabimus.
Ex ipsa autem ejus definitione fluit, hanc quæstionem optimè
affirmari posse; Si enim Majestas est summa potestas, legibus
etiam erit soluta: Siquidem si legibus teneretur, eæ in eam
essent latae, aut à superiore, quem tamen sine implicatione
contradictionis agnoscere non potest: Aut à subditis, quod
æquè absurdum, cum ita leges darent, qui accipere deberent:
Aut à se ipsâ, quod tamen ob liberam voluntatem nullò mo-
dò fieri potest, quia nemo in se habet imperium *l. 13 §. 4. ad
Sctum Treb. l. 51. de recept. qui arbitrium recip. Et nemo pot-
est se ipsum cogere l. 7. §. 8. ff. de Donat. inter vir. & Ux.*

§. 24. Quoniam autem leges sunt vel naturales, vel di-
vinæ, vel civiles, videbimus, quibus, & quomodo iis sit soluta
Majestas. Naturalibus & divinis eam teneri cum communi
sententiâ defendimus: Quia in his imperantes, non Imperan-
tium, sed commune omnium hominum jure censentur, &
ideo manent subjecti Dei & naturæ legibus, quorum respectu
quasi cives sunt, & quibus instar aliorum civium obtempe-
rare coguntur, ut ostendit Augustin. Et constat *ex c. 17. v. 18.
19. 20. Deut.*, ubi expressè leges ab ipso Deo Regibus præscri-
buntur, & eas observare ipsi jubentur. Divinæ enim & natu-
ræ Leges ab ipso naturæ auctore, divinâ quâdam Providentia
hominum mentibus fuerunt insculptæ, ut ex iis, cum sint
immutabiles, vix erui possint: id quod etiam satis clarè de-

mon

monstrat §. pen. 7. de 7. N. G. & C. & l. 188. de Reg. Jur. nec igitur Princeps, sive rex Legibus divinis atque naturæ se solum profiteri. Nisi quis id velit asserere, quoad vim coactivam extrinsecam, cujus principium est externum quid; Quicquid sit, quoad intrinsecam tamen obligationem conscientiæ Majestas Legibus naturalibus soluta non est.

§. 25. Quod attinet ad Leges Civiles, dicimus Majestatem planè illis esse solutam per l. 31. ff. de LL. Nov. 105. c. 2. §. fin. in fin. Ubi imperator ipse de se scribit: *omnibus à nobis dictis Imperatoris excipiatur Fortuna, cui & ipsas Deus Leges subjecit, Legem animatam eum mittens hominibus.*

§. 26. Neq; ex aliquo Privilegio Legibus Civilibus est solutus Princeps, ut sentit Anton. Fab. sed per illam ipsam, Legem Regiam, qua ei & in eum, omne Imperium suum Populus contulit §. 6. 7. de 7. N. G. & C. & l. 1. princ. ff. de Const. Princ. & l. 1. §. 7. C. de veter. Jur. enucl.

§. 27. Non desunt, qui plane negant Majestatem esse Legibus propriè solutam Civilibus; Sed quod tantum videatur per l. 23. ff. de legat. 3. & Gothofr. ad d. Nov. 105. Sed sciendum est particulam VIDE TUR non semper esse improprietas notam v. l. 12. pr. ff. de injust. rupt. & irr. ubi testamentum nato postumo præterito reverà ruptum, dicitur, quod ruptum videatur.

§. 28. Objiciunt dissentientes: Quod, quamvis concedatur, Majestatem quibusdam Legibus Civilibus esse solutam, hoc tamen non extendendum sit ad omnes Leges Civiles; multas enim earum non esse tantum Leges Civiles positivas, sed fluere ex Jure Naturæ & Divino. Sed respondemus ad hæc: has leges dupliciter posse considerari, vel prout sunt promulgatæ à Majestate, vel prout sunt Jura naturæ. Quatenus sunt promulgatæ, iis planè solutam statuimus Majestatem, quoniam Princeps sive Majestas est supra Leges à se latas, ut dictum in præc. Quatenus verò sunt Jura divina & naturæ, minime; cum his non teneatur ut Princeps, sive Majestas, sed jure hominum communi. Jus igitur naturæ, qua tale observandum erit Majestati, non ut Lex Civilis; Sed eo tenebitur ex vincu-

to conscientiae & honestatis: Minime ergo sibi contrariantur
Majestatem omnibus Legibus Civilibus esse solutam, & ta-
men teneri naturalibus & Divinis Legibus.

§. 29. Quidam circa Leges Civiles distinguunt inter vim
coactivam & directivam, & dicunt; quoad vim coactivam
Majestatem esse solutam Legibus, quia non agnoscat superi-
orem potestatem, à quâ ad observationem harum Legum adi-
gi possit, quoad vim directivam verò eam esse Legibus adstri-
ctam, cum revera obligetur ad culpam.

§. 30. Repugnant alii huic distinctioni: quod ubi coa-
ctio non sit, ne quidem Lex sit, cum omnis Lex habeat vim
cogendi: Addunt alii, ne vim quidem directivam cadere in
Principem, cum ea non sit expert superioritatis, imò & neces-
sitaris. Videtur verò hæc distinctio tolerari posse, si per vim
directivam intelligas honestatis rationem, sicut per vim coa-
ctivam necessitatis, & ita quoad illam Majestatem teneri.

§. 31. Neque enim ideò illam Legibus solutam diximus,
quod quidvis ei agere honestum sit: Non enim omne quod
licet honestum est. l. 144. de R. J. Et quamvis Regi in suâ Re-
publ. dicente Salust. in Jug. impunè quidvis facere liceat, ita,
ut à Legibus cogi nequeat, aut prohiberi: Rectè tamen Tacit.
IV. Annal. malum vocat eum, qui præter Licentiam ex magnâ
Fortunâ usurpat nihil. Unde non quod liceat, sed quod ho-
nestum sit & deceat Majestas agat; Quod autem Legibus
eam vivere deceat, docent *l. 4. C. d. LL. §. fin. J. quibus modis
testam. infirm. l. 3. C. d. Testam. l. 23. de Legat. 3.*

§. 32. De Legibus fundamentalibus, quæ & ipsæ sunt Civi-
les, non levis est controversia, an derogent Majestati? Non
derogare eas statuunt Reink. Besold. König. &c. Alii contra-
riam amplectuntur sententiam. Distingvimus inter Leges
fundamentales propriè ita dictas, quæ per modum Imperii
Principi præscribuntur: Et inter eas quæ per modum conven-
tionis & contractus inter Principem & subditos placuere.
Illæ Majestati videntur derogare, non item hæ, cum ibi Prin-
ceps non consideretur ut Majestatem habens, sed ut homo, &
ita naturali Jure obligetur, salvâ manente Majestate, cui obli-
gatio ex Jure naturali proveniens non derogat. Eleganter id
declarat Grot. *de J. P. & B.* Exemplo Patrisfamilias, qui si
quid

quid familiae se facturum promiserit, quod ad familiae gubernationem pertineat, non ideo desinet in sua familia Jus summum, quantum fert, habere: Nec Maritus maritali potestate privatur eo, quod aliquid Uxori promiserit.

§. 33. Vifa ita, quantum videre licuit, Majestatis natura, ad ejusdem distinctiones & divisiones per lustrandas progredimur, non minus intricatas.

§. 34. Occurrit primo famosa illa distinctio, qua Majestatem distinguunt in realem & personalem. Braudlacht *Epitom. Jur. Public. l. 3. c. 2.* Kirchn. *de Rep. diff. 2. th. 3.* Reinhard. *Konig. Politic. Dissert. 7. §. 7.* Althuf. *l. 1. Polit. c. 6.* Realem vocant, quae Reip, perpetuo inhæret, & cum Imperii seu Reipubl. eminentia nascitur, cumque eadem moritur, & interit: hinc Majestas Imperii vocatur, ait Konig. Et improprie quidem, cum proprie sit in re animata: Personalis secundum eos est, quae in Personam imperantem confertur, cum ea perdurat, eam sequitur, & tandem cum eadem concidit. Refutantur illi non unam ob causam, & ob multa, quae ex aliis eorum opinionibus eliciuntur, absurda.

§. 35. Si quid in re adeo difficili dicendum restat, dicimus, Majestatem realem & personalem unam & eandem esse, neque differre nisi secundum modum considerandi; Eadem enim Majestas, quae est in imperantibus, tanquam in subjecto proximo & immediato, Reip. etiam inest tanquam subjecto mediato & denominationis.

§. 36. Neque diversum est in subjectione quae ex parte Subditorum opponitur Majestati, nam & hæc in Republ. est, [cum Resp. sit ordo Imperantium & parentium] & in subditis.

§. 37. Sed quomodo in statu, quem vocant INTERREGNUM, sese res habebit, ubi tunc erit Majestas? Non penes Regem defunctum, quia non amplius est, neque penes Regem futurum, qui nondum Rex existit, Majestas autem sine subjecto esse non potest. R. Erat penes populū, qui per Vicarios plerumque suos & Interreges potestatem Majestaticā exercet.

§. 38. Distinctio ea fuit Majestatis, subsequitur divisio. Est enim Majestas totum potestativum, i. e. quod habet plures potentias & facultates operandi, quarum respectu dicitur to-

tum; sicut enim anima nostra plures habet agendi potentias; ita & Majestas plures facultates, quæ Jura dicuntur Majestatis & Regalia ut potestas Magistratus constituendi, pacem in eundi, belligerandi &c.

§. 39. Distingvunt communiter hæc Jura in Majora & Minora. Majora vocant, quæ ad splendorem & eminentiam, cum primis Majestatis pertinent; Minora, quæ magis ad augmentum fisci, quorsum ferè referunt *tit. 56. l. 2. Feud.*

§. 40. Planior est distinctio secundum objectum, ubi Jura quædam pertinent ad res divinas, id est, cultum divinum, instituendum aut conservandum, ut: Synodorum coactio, Ministrorum institutio: quædam ad res Politicas, ut: potestas Magistratus constituendi.

§. 41. Aliter distingvuntur Jura Majestatis in intrinseca, quæ in ipsâ Republ. expediuntur, ut: potestas vectigalia imponendi; & extrinseca, quorum objectum diversa est Resp. uti Jus bellum indicendi, Jus Legatos mittendi.

§. 42. Circa Jura Majestatis frequens est quæstio: An ea possint communicari salvâ manente Majestate? Videtur esse distingvendum inter communicationem sive cessionem cumulativam, & abdicativam. Prior est, quando res ita communicatur, ut communicans nihilominus eam retineat, & hæc dici potest communicatio per usurpationem, ut: si alicui aliquid utendum communicem, & hoc modo Jura Majestatis possunt communicari, ratione scilicet exercitii. Posterior est, quando ita communicatur, ut penes communicantem non remaneat, & hic modus dici potest per divisionem, ut: si quis alteri præbeat cibum aut potum, ut edat aut bibat. Quâ ratione Jura Majestatis non possunt communicari salvâ Majestate, cum ita communicans non amplius integram habere possit Majestatem.

§. 43. Cùm autem Majestas totum sit, & constet ex partibus, sequitur, quamvis sit unum quid, ac indivisum, esse tamen divisibilem. Quod etiam innuit Aristoteles *V. Polit. c. 11.* propter hoc, inquiens, *longo tempore duravêre Reges, quod ab initio statim in duas partes divisa fuerit Regia potestas, sive Majestas.*

§. 44. Quid Majestatis nomine veniat, quibus Juri-
bus

bus gaudeat, quæ ad eam requirantur, hæcenus libavimus: Lūbet quoque, antequam colophonem huic materiæ imponamus, levi penicillo adumbrare, quanto crimine sese obligent illi, qui in illam peccant. Crimen autem, quod in eos, qui Majestatem habent, committitur, crimen dicitur læsæ Majestatis, seu (ut malunt nostri Doctores) crimen Majestatis, proximum ei, quod in ipsam divinam committitur Majestatem. *l. 1. ff. ad L. Jul. Majest.* Definatur autem, quod sit crimen, quod adversus eos, qui Majestatem habent, seu eorum auctoritatem & securitatem committitur. Ubi (1) nota, quod, quando dicimus, qui MAJESTATEM HABENT, eos etiam includamus, per quos Majestas lædi intelligitur, hi enim sunt quasi membra & partes ejus, ut constat ex *l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* Nota (2) quando dicimus in definitione COMMITTITUR, hoc non accipiendum sit de effectu tantum, sed sufficit ad pœnam conatus, licet effectus non sit secutus *d. l. 5. pr. C. ad L. Jul. Majest.* Pœna autem est pœna capitis ut in dictâ *l. 5. §. 3. Instit. de publ. Jud.* & ut bona eorum fisco addicantur.

§. 45. Sed hisce explicatis vela contrahimus, nec longius provehimur in immenso hujus materiæ Oceano. Plura neque materiæ difficultas neque temporis ratio passæ sunt.

Subsistimus ergo, & TRIUNI DEO LAUDEM TRIBUIMUS ATQUE GLORIAM.

COROLLARIA.

I.

AN Imperator Justinianus Majestatem habuerit?

2. An Papa possit esse Monarcha?

3. An Justitia Universalis sit finis Juris prudentiæ? A.

4. An hereticus possit esse fctus?

5. An defensio sit Juris naturalis? A.

6. An consuetudo etiam in statu Monarchico locum habere possit? A.

7. An Tutela sit Juris Civilis? A.

8. An omnis Capitis diminutio sit mutatio status in deterius? N.

OK BK 4558

Sol est Majestas, oculos perstringit & urit,
vultus ubi obvertit lumina debilior,
Tu verò ut radios oculis bibis inconnivens!
ut Te aquilæ veram progeniem esse probas!

*Nobilissimo Domino Respondenti, Dissertationis Authori
Præses.*

Nobilis es Natu; fieri quoq; Nobilis Arte
Tendis; conamen sospitet, opto, Deus.

Nobilissimo suo Contubernali, Amico & Fautori
medullitus dilecto ita gratulabatur

M. Johannes Bechman.

Was stets dein hoher Sinn/ in wehrter Freund/beginnet/
das kan nichts schlechtes sein/es wisset sich izt aus/
du machest durch dein Ihm berühmter Stamm und Hauß/
Wohl dem/der so wie du/ Lob/Ehr und Preiß gewinnet.

Hans Ernst aus dem Winckell
Nob. Saxo.

We bey Olympien/ in jenen renne Spielen
die Hercules gestift/ manchmahl ein gutes pferde
das beste hat gethan / und den gesetzten Werth
Dem Reuter zugebracht: so must du gleichfals fühlen
Die Siege/die dein Fleiß dir stündlich noch erreget
und dich und deinen Sinn führt auffwärts Himmel an/
wer sein Gemüth also zur Tugend lencken kan
der hat ja seinen Fleiß nicht übel angeleget.

Fahr fort/mein werther Freund/diß liegt mir gleublig bey
das dir der weisen Lob schon zu erkennet sey.

Caspar Friederich von Kospoth.

Du machst die Majestet/ und zeichst so von der Stät.
Ich wünsch zu benden dir viel Gunst der Majestet:
der Göttlicher/ vann du den Weg von hier genommen/
der Irdischn/die du machst/wenn das du wiederkommen.

Friederich von Kospoth.




WA

71.15



... pul
dit
rec
me
bra
Res
no
des
Im
No
tia
per
hab
«qui
«vel
«tun
«ben
«Ma
gii:
lon
mâ
gas
tia
abff
in q
Exc
nes
tior
cert
min
qu
mot
gant



statem iis Rebus
in alterius populi
acta superiorem
opriè non sunt, sed
omodo servi mem-
a temporis, cum
em dabat: Rex Da-
oris tradidit, obfi-
que suos, non nisi
egnum adepturos.
us *l. i. c. 2. de Poli-*
t, his rationibus
entes potestatem
s. Falluntur isti:
que sufficit, unum
ortè communica-
ropriâ virtute ha-
quomodo Jure
ciunt, Jure Privile-
Majestatem vel in
objecti. Hâc ulti-
imus, ut intelli-
ad universa nego-
lò ab objecto suo
endentia sufficiat,
, etiam singulari.
Regalia sint pe-
extrema provocac-
gerandi, ille unus
udine, quia â ne-
en in latitudine,
m.
i posse videtur,
ffit? Plurimi (ne-
ajestate in longi-
tudine

